Seminarij Hibernorum Salmantini

TRACTATVS DE MATRIMONIO, ET CENSVRIS.

AVTHORE

R. P. GASPARE HVRTADO, MONDEIARENSI, E SOCIETATE IESV, D. Theologo in Academia Complutenſi.

Et olim in eadem Artium liberalium publicè Profeſſore, & Collega D. Ildephonſi,

Et nunc in Collegio Complutenſi Societatis IESV, ſacræ Theologiæ primario Profeſſore.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA - SALAMANCA

LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXIX.

CVM PRIVILEGIO.

AMPLISSIMO, ORNATISSIMOQVE VIRO,

D. CAROLO DE TORVEON,

apud Lugdunenſe Forum Conſiliario meritiſſimo,

S. P.

LAVRENTIVS DVRAND, BIBLIOPOLI.

CLARORVM hominum beneuolentia nihil eſſe ad ſenſum, & memoriam iucundius, nihil ad vſum fructuoſius, nihil honorificentius ad ornatum, perpetuò ſum interpretatus, neque, opinor,

TRACTATVS DE MATRIMONIO.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura ſponſalium, & eorum valore ad obligandum.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid ſint ſponſalia.

SPONSALIA tripliciter ſumuntur. Primò, quamuis rarò, pro muneribus ſponſæ ab ſponſo collatis, vt ſumuntur 1. Reg. 18. *Non habet Rex ſponſalia neceſſe.* Secundò ſæpe, & propriè ſumuntur pro contractu matrimonij nondum conſummato, vt ſumuntur Matth. 1. *Cùm eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph:* quia eo contractu quaſi promittitur implicitè vſus matrimonij. Tertiò communiter, & propriiſſimè ſumuntur pro mutua promiſſione futuri matrimonij, vt ſumuntur l. 1. ff. de ſponſalibus, & cap. *noſtrates* 30. quæſt. 5. 1

1. Reg. 18.

Matth. 1.